

I.

Antiquissima semper Pastoris cura sit, omnibus, quorum salutis rationem habet, religionem rite tradendi. Inter varios institutionum modos is eminet, qui *circa rudimenta religionis per quæstiones & responsiones bene ac solide insinuanda versatur*, & *Catechesis* adpellari solet. Hujus, ut facile patet, multæ provisiones sunt, cautiones multæ, quarum argumentum perputare, adperte & diligenter exponere, singulari disciplina perscribere & separatim tractare juvat. Ex præceptis, quæ in hac re dispersa & infinita videntur esse, nonnulla distribuemus & sub aspectu ponemus, quæ 1) *præparationem* ad munus Catechetæ & 2) ipsam *muneris functionem* concernunt.

* Vid. Cl. M. J. SCHMIDT *Methodus catechizandi*. Ejusve in vernaculam translatio: M. J. SCHMIDTS *Katechist nach seinen Eigenschaften und Pflichten, Bamberg und Würzburg 1785*. Ex hoc singulari libro, in quo multa industria & diligentia, multaque doctrina adparet, qui & crebro lectus nunquam tamen legendi satietatem adfert, plura in se-

4

quentibus excitanda essent, sed nolumus identidem lectorem ad illum delegare, quia iis, ad quos spectat, admodum familiaris esse debet.

II.

Qui negotium Catechetæ & jucundum & difficile, munus tam eximium, tam arduum, & — cum *Erasmio* loquimur — plane senile, ad quod singularis alacritas, prudentia, patientia, comitas atque zelus requiritur, in se digne fuscipere, & rite tandem administrare velit, *naturales ingenii dexteritates, & habilitates exercitatione tentatas adferat.*

Sive philosophicæ & theologicæ studio occupatus sit, sive historicæ, aut rerum ad litteras elegantiores & humaniores pertinentium lectio illum oblectet, nunquam non scite distinguat & a reliqua eruditionis massa quasi extrahat quid sua elegantia, & perspicuitate ad sensum vulgarem, popularemque sit adcomodatum, aptum & utile, cunctosque cura æquali & sollicitudine adficiat, & ad singulorum salutem sine ulla exceptione spectet.

* Munus catecheticum quam nobile sit, animæ humanæ dignitas, infantum docilitas, eorum
erga

erga Deum & homines relatio, multorum
sanctorum Patrum & Episcoporum imo Christi
effata, sanctissimaque exempla clare loquun-
tur. *Vid. Præf. Cl. DE FELBIGER ad librum*
antea citat. SCHMIDTS Katechist.

III.

*Ex historia naturali, & physica, psycholo-
gia empyrica, & anthropologia, item morum
metaphysica, & rationis practicæ critica &c.*
copiam sibi faciat nominum ad interpreta-
tionem, rerum ad explicationem, argumen-
torum exquisitorum ad persuasionem, in
quibus universis serio reflectendum est ad
captus puerilis angustias.

* Liceat nobis hic illorum studium celebrare,
qui dum prælectiones Philosophiæ academicas
amplius adire nequeant, olim collecta postli-
minio seduli repetunt, & legendo, meditando,
cum eruditis conversando, aliisque mediis ad
ulteriores progressus adspirant, qui in campum
Philosophiæ etiam recentioris apicularum ad-
instar vagantur, flores idoneos carpunt, in
favos digerunt, & infantes suo tempore felici-
ter pascunt. Utinam illis, qui in sententiam
istam ægre descendunt, ad manus esset una
alterave ex elucubrationibus ævi nostri! E. g.

MENON, oder Versuch in Gesprächen die vornehmsten Punkte aus der Kritik der praktischen Vernunft zu erläutern, von F. W. D. SNELL, Mannheim 1789.

IV.

Studio scripturifico theologus novitius ita catechesium habendarum respectu se consecret, ut libros utriusque testamenti, praesertim novi, saltem quoad partes notabiliores, recte & accomode interpretari, textusque ad probandum idoneos optime explicare sciat, sententias & historias ad illustrandum aptas fideliter memoria teneat, & potissimum denique Christi spiritum, quem & sancti Apostoli in sua vivendi docendique ratione exprefferunt, anhelus imbibat.

* Exin sponte fluit, libros, ut ajunt, sapientiales sc. *Proverb. Sapient. Ecclesiast. &c.* diurna nocturnaue manu theologis esse versandos. Quem non in eandem secum trahat sententiam vir eximius GREGOR. ZIRKEL, libro nuper *Wirzburgi edito: Der Prediger Salomon, ein Lesebuch für den jungen Weltbürger?* Triumviri clariss. BRAUN, BRENTANO, MUTSCHELLE & alii plures nunc toti in eo sunt, ut studium SS. Litterarum colant, juvent, ac magis promoveant; quibusnam verbis horum laudem consequemur? Religio eorum nomina commendat.

** Va-

*** Varios textus religiosissimi spiritus Christi testes habemus & interpretes. e. g. Matth. VII, 29. XI, 28 — 30. Marc. X, 14 — 16. &c.

*** Majori erga sacras litteras amore inardescimus studiose pensando illarum contentis, *ut nihil majus & sublimius ita & nihil communius* esse. Luculentas desuper animadversiones invenimus in *Orat. S. GREGORII NAZ. 32. de Moderat. in disp. nn. 22. 23. 26.*

Vid. quoque s. HIERONYMUS in *Pf. 86. &c.*

**** Qua ratione animum & operam in SS. litteras convertere debeamus, egregie nos informat de Theologis Germaniæ inter cæteros meritissimus J. M. SAILER *Vom erbauenden Schriftbetrachten. Vorlesungen aus der Pastoraltheologie, 1. Th.*

V.

Qui in voluminibus prælectionum academicarum *Theologiam dogmaticam* pertractant, una quædam exponunt, quibus in catechetica instructione minime immorandum est. Ab his proinde alia majoris momenti caute secernenda, & quasi seorsum custodienda sunt. Id quod iis ex sententia succedet, qui ad prudentis magistri, aliusve probi ac eruditi viri dicta obtemperare, & a promiscua librorum, ut lubet, arreptorum lec-

tionem, qua tempus deperditur pretiosissimum — si tamen non plura pullulent damna — sollicitè abstinere solent.

* Quia nunquam rectius feliciusque discitur, quam si magister in amicum transeat, hinc tyrones ad familiare cum illo commercium non adspirantes jure carpi, nemo non videt. Gravissime in illos invehendum est, qui novarum opinionum pruritu abrepti, quæ antiquitatis adfensu stabilita esse deprehendunt, mox ut falsa sive dubia castigare & rejicere, novitatis autem nitore prædita ex cæco impetu non præmissio rigido examine dilaudare, minime omnium hærent. Tales habitu dubitandi, quasi lue infecti, quomodo catechumenis de veritatibus persuadeant, quas ipsimet nondum amplexi sunt? Qui per alium tramitem rectum videlicet ad metam sibi propositam tendunt, libros exquisitos adhibentes, quorum auctoribus animus erat, exactissima cura veritates fide catholica tenendas a Scholarum placitis, & sententiis minori auctoritate pollentibus probe discernere, quomodo tales aliquando conquerentur, se dediscere debere, quibus per annos tyrocinii theologici incallescant?

Album librorum, de quibus hic sermo fuit,

exor-

exornant: VERONIE, *Regula Fidei cathol.* —
Libellus multoties typis evulgatus. JAC. BEN.
BOSSUET *Doctrina cathol.*, de iis argumentis,
de quibus controversiæ sunt, expositio. De
Regula fidei cathol. disertatio FELICIS ANT.
BLAU, Mogunt. 1780. Conf. BEDA MAYRS
Vertheidigung der katholischen Religion,
Versus finem &c.

IIV

VI.

Quoad *Theologiam moralem* indagandum
venit, qua convenientissima methodo officia
christiana tenellis mentibus feliciter instil-
lari, & qui ætate magis provecti sunt, in
virtute firmari, vel virtuti reddi possint;
deinde in quænam plerumque vitia quælibet
ætas proclivior sit. Ejusmodi notitiam assi-
dua observandi, & alienas observationes
sapientumque monita adprime sibi adplican-
di solertia large subpeditabit.

* Qui exercendæ virtutis vitijque vitandi motiva
ab *experientia*, ab *exemplis* & *parabolis* de-
sumere, & intuitu sensibili repræsentare so-
lent, methodum legunt, quam ipse sapientissi-
mus veritatis magister Jesus Christus nobis
commendavit. Consulatur liber: *Ueber die*
Lehren, Thaten und Schicksale unsers Herrn

von dem Verfasser der Lebensgeschichte Jesu.
Tübingen 1787. Quodsi a visibili ad invisibile
fiat transitus, ut animus ex his, quæ novit
ad incognita surgat, & ex analogia dijudicari
concedatur, quod alias captu difficilior foret,
celerius salutiferum veritatis lumen dimanabit.
Conf. s. GREGORII P. Hom. XI. in Evang.

VII.

*Studium Historiæ Ecclesiasticæ, SS. Patrum,
& Liturgiæ* ab eo, qui catechizando aliis
prodesse disiderat, nequaquam parvipen-
dendum esse, palpabiles rationes evincunt.

* Prolixam illorum seriem, qui per varia retro
sæcula legatione pro Christo functi sunt, va-
riam eorundem agendi rationem &c. perspi-
caci oculo lustrare, multum utilitatis & ju-
cunditatis habet. Historiam catechetica con-
cinnavit supra cit. SCHMIDT in eodem opere.
Conf. *Beyträge zur Verbesserung des äussern
Gottesdienstes, I. B. 1. St. Frankfurt 1789.*

Quo pacto in rebus liturgicis quædam dis-
poni expediat, catechesibus valde proficua, con-
sultationes sæculi nostri genius habet. — Sic
e. gr. circa administrationem *Sacramenti Con-
firmationis* de nonnullis accidentalibus, ex
quibus insignis catechumenorum profectus
deri-

derivari posset, adsciscendis aliisque non nihil immutandis quidam cogitant. — In cujus animo non vituperanda pro ejusmodi dispositionibus vota fervent, is ipse ex diu receptis, quæcunque potest, emolumenta interim decerpere non desistat.

VIII.

Dominium in facultates mentis, & ejusdem adfectiones, alique habitus ad munus catecheti- cum requisiti non nisi frequenti exercitio adipis- cuntur. Evidens isthæc veritas, tyroni theo- logo in lectione, meditatione, scholasticis exer- citationibus, & variis conversationibus non pau- ca studiosius advertenda manifestat.

* De cultura mentis humanæ, quinam nimi- rum rectus *adtentiois* usus, quæ perficiendæ *phantasiæ* ratio &c. lectu dignissima invenies apud clar. STATTLERUM in *Ethica christiana* P. II. Sect. I. Apud REINHARDUM T. I. *System der christlichen Moral, Wittenb. und Zerbst 1788*. Siquem vero ex fori philo- sophici auctoribus adire velis: in KREILS *Hand- buch der Logik, Wien 1789*. Inter libros asce- ticos, quorum usus non incongrue a nobis hoc loco commendatur, singulari prærogativa fulgent reliquæ pretiosissimæ S. FRANCISCI

SALE-

SALESII e. g. *Philothea, Epistola &c.* Insigne, quod huc facit testimonium, quis non summa cum reverentia excipiat? testimonium L. B. DE DALBERG, *Reverendiss. & Illustriss. Archiepiscop. Tars. &c. &c.* in libro: *Gedanken von Bestimmung des moralischen Werthes.*

IX.

Quoniam ad catechizandum *facultas prompte & expedite cogitata vocabulis convenientibus exprimendi* requiritur; idcirco ingenuus artis catecheticae candidatus & verborum copiam & solidam, quæis genuinis valeant significationibus, notitiam sibi procurabit. Porro, quibusnam variis sensibus voces varias jungere soleant infantes, alique rudioris massæ homines, investigare non dedignabitur. Quem in finem multi sacri curiones cum ejusmodi hominibus pro re nata confabulantur, & suavi cum pueris affabilitate balbutiendo quasi repuerascunt.

* Vid. *Beyträge zur Homiletik* 1. B. Salzburg. *Bemerkungen über die Mittel &c.*

** Hic mentio adjicienda de usu linguæ latinæ in docenda Theologia nonnullos salutare hujus disciplinæ effectus, & liberiores in ea progressu

gressum retardante, & impediante. Vid. D. F. OBERTHÜR *Encyclopædia & Methodologia theologica. Tom. I. Anleitung zur christlichen Moral* von J. DANZER *Tom. I. in Præf.* Etiam DE FELBINGER in *exordio Præf. supra citat.*

X.

Qui *narrationum* adminiculo moralitatis gustum excitare, vitæque rectæ canones propinare aggreditur, ad prudentem illarum *delectum*, & diversas, quæ orandæ sint, *virtutes* animum adplicare tenetur. Absit, ut reprehendamus catechetam, qui narrationibus ex S. Scriptura petitis frequentiores in vita communi occurrentes interponere solet. Posterioribus majorem præ illis claritatem sæpius conciliari, experientia docet.

Non sufficit arrectis auribus id, quod exponit, avidè excipi, dum *ordo*, *vivida repræsentatio*, *variæ sermonis elegantia* &c. attentionem alliciebant, sed conspicuum simul fiat per omnes narrationis partes, quidquid informandorum *inclinationes* & *adversiones* regere, sicque *mores excolere*, *emendare*, & *perficere* aptum est.

- * J. M. SAILER *Vorlesungen aus der Pastoraltheologie*, T. II. *Die Kindererziehung nach Vernunft und Religion*, von ANDREAS SUTOR Landshut 1791. 3. Abschnitt. *Ueber die wirksamsten Mittel, Kindern Religion beyzubringen*, von CHR. G. SALZMANN, Leipzig 1780.

XI.

Theologum tyronem arte interrogandi imbuendum esse, ex ipsa catecheseos notione sponte fluit. Cuius expers, qui fructuose functiones suas olim obire poterit? Nam *interrogationes sunt apte proponendæ, & variis submittendæ modulis*, ut mentem versus punctum veri dirigant, & catechizandorum animi sensa rimentur; *responsiones prolatae extemplo trutina adcurata examinandæ, & illæ, quibus defectus insunt, mox restituendo, mox aliud quid tentando emendandæ sunt.*

- * *Regulas artis interrogandi cum variis, quæ huc faciunt, animadversionibus volenti recensimus.*

XII.

Cognitioni præceptorum narrandi & interrogandi methodum concernentium *exercita-*

citationem vinculo fororio jungendam esse, in aprico est. Hinc tyro, ubi cum infantibus colloquendi copia datur, utilitatis ex praxi resultantis non immemorem sese exhibeat.

Proderit præsente quodam moderatore, sagaci iudice, aut etiam familiari amico vires tentare. An vero novitium theologum ad officium tanti ponderis, quanti illud habendarum in ecclesia publicarum instructionum, præmature destinare expediat, vehementer quidam dubitant.

XIII.

Quantopere optandum, ut tyroni ad functiones catechetæ sese præparanti exquisita ut ut modica *librorum artem pædagogicam, catechetica[m] & homileticam docentium supellex* ad manus sit!

Specialem hujusmodi librorum syllabum construere, sibi que de excerptis & collectaneis rite providere, operæ pretium est. Id quod illos præsertim tangit, quæ nec patrimonium pingue, nec mæcenatis generosi sustentationem fors obtulit.

Demum viros sacro ministerio jam jam addictos sæpius adire, & pro consequenda optimorum con-

consuetudine omnem movere lapidem,
quam maxime jucundum & proficuum est.

** Ad libros quod attinet prædictos melioris
notæ perplures indicat opus, quod inscribitur:
*Anleitung für geistliche Konkurs-Kandidaten,
Prag 1787. Theoretischer Theil. Conf. Anlei-
tung zum Gebrauch des katechetischen Unter-
richts von JOS. MILLER, Linz III. B. sub finem.*

** Forsitan aliquis, quem multorum occupat li-
brorum lectio, cum S. HIERONYMO dicet:
„Quia operis mei est & studii, multos legere,
„ut ex plurimis diversos flores carpam,
„non tam probaturus omnia, quam quæ bona
„sunt electurus: adsumo multos in ma-
„nus meas, ut a multis multa cognoscam fe-
„cundum illud, quod scriptum est: Omnia
„legentes, quæ bona sunt, retinentes. „ *Ad
Vigilantium Epist. 61. alias 75.* — Aut: „Si
„quis immurmurat, quare eorum explanatio-
„nes legam, quorum dogmatibus non acquies-
„co, sciat me illud Apostoli libenter audire:
„omnia probate, quod bonum est, tenete &c. „
Epist. ad Minerv. & Alexand. 119. al. 152.
Is non minus & alia hujus magni viri effata,
e. g. quibus S. Scripturæ studium commenda-
tur, menti infigat, rogamus. Vid. *Epist. ad
Ephes. & alia ejusdem opera.*

*** Pro-

*** Profecto illam feriarum partem, quam quis peregrinatione ad observandum varias in variis Parœciis catechizandi methodos, & ad invisendum operarios in vinea Domini laborantes, impendit, optime animo simul ac corpori consulere, nemo negabit. Et isthac animadversione coronidem primæ scriptionis parti imponimus.

XIV.

Quæ a clericis ad munus catechizandi adsumtis primario exigitur strictissima & assidua cura, *materiam & formam* instructionis respicit. *Exponat Catecheta* veritates ad religionem pertinentes, puta genuinum de Deo sensum & omnimodam erga illius mandata obedientiam procreantes, ac promovescentes, *dogmata fidei, morum præcepta, historiarum revelationis capita*, & quidquid efficere potest, ut veritates sublimiores in animum penetrent. In quibus universis *tali ordine & dicendi genere* excellat, *ut a quovis audientium facile tam intellectu, quam animo capi, memoria firmiter retineri, & in praxim redigi queant.*

* Qui quæstiones spinosas, & steriles quocunque modo in medium adferre, nimio definitionum,

distinctionum & divisionum adparatu eruditionis speciem ambire, & digressionibus, e. g. polemicis, aut in narrando obviis, quæ potius distractiones, quam majorem claritatem pariunt, tempus consumere solent, non immerito reprehenduntur.

Nemo autem subtilioribus temere adsociet speculationibus *fidei mysteria* aptissimo modo exposita. Neque obtendat aliquis SS. Apostolos in epistolis suis mysteria Neochristianis rarius inculcasse. Nos, catechetas quidquam silentio prementes, quod Sapientia divina dispensavit, ut mortales æque bonos faciat ac beatos, grande piaculum admittere, censemus.

Secus sentiendum de illis, qui solum omittunt doctiora quædam vocabula ob hæreticorum cavillationes inventa, quibus certe rudiores non fatigandi sunt, quorum interest, res ipsas credendas nosse, non verba, quibus eas Scholastici enarrare consueverunt. *Vid. Præfatio AB. FLEURY in Catechismum historicum.*

XV.

Quandoquidem instructionis materiam plerumque ad ductum cujusdam libri — Catechismum nuncupant — qui conspectum religionis pro catechumenorum capaci-

pacitate & usu continet, pertractandi mos est; hinc etiam *quæ respectu catechismi observanda* veniant, Catecheta perpendat. „Nam „observatu dignum est — verba cl. J. OP-
 STRAET adhibemus — esse quosdam cate-
 „chismos difficiles, steriles, & minime ad
 „captum vulgi adcomodatos; decerptos ex
 „scholasticis; & ex illorum fere quæstioni-
 „bus, definitionibus, divisionibus, & di-
 „stinctionibus compactos: in quos dum qui-
 „dam catechistæ imprudentius incidunt, &
 „se troquent, ut explicent, & pueros mi-
 „fere cruciant, ut addiscant.” Cogitandum
 igitur, quibusnam remediis viva voce sic
 informari possint auditores, ut saluberri-
 mos eosque permanentes fructus reportent,
 & a catechismi, qui ipsis adhibendus est,
 contemptu omnino præserventur. Sollicite
 præterea cavendum est, ne statuta diœceseos
 lædantur, præpositi offendantur, aut quid
 aliud a temporis locique circumstantiis pla-
 ne absolum prorumpat.

Conf. *Ueber den neuen katholischen Kate-
 chismus, Frankfurt 1789.*

- * *An instructiones scriptis mandatæ pueris dis-
 tribuendæ sint, quæstio hic moveri potest.*
 Sunt, qui existimant Catechetas *libris* quibus-

dam *symbolicis* instruendos esse, unde adstringerentur ad certum *materiarum* explanandarum ordinem, a quo etiam mutatis illorum vicibus nunquam deflectendum foret. Alii de *libris subsidiariis* verba faciunt, qui *Catechumenis primario inservire deberent*. Horum votis satisfacere videtur elegans opus BENED. POIGER *Abhandlung über wichtige Religionsgegenstände für das gemeine Christenvolk, Grätz 2 B. 1788. — 1789.* Ab illis *Catechismus Romanus* denuo commendari desiderat, utpote a summis Pontificibus jam jam Parochis & Seminariis traditus & singulari studio adprobatus a NATALI ALEXANDRO in *sua Theologia dogmatica & morali secundum ordinem Cat. Concil. Trident. in 5 Lib. tributa*. Quid obstat, quominus ad amborum animi sensa unus idemque praxin suam Catecheta componat?

XVI.

Proprietates Catechismorum sequentes sunt:
 „Quantum fieri potest, debent esse breves,
 „perspicui, solidi, sacris litteris conformes,
 „& quoadusque fieri potest, terminis illarum styloque gravi concepti. — Certa
 „fidei dogmata proponantur, incerta pro
 „incertis non venditentur, quæstiones scholasticæ

„lasticæ & subtiliores, quantum possibile
 „est, amendantur; aut siquæ sint quæstio-
 „nes dubiæ, idipsum insinuetur, rixis &
 „controversiis per omnia præcaveatur, er-
 „rores modeste rejiciantur. Quantum ad
 „res agendas christianismus practicus vel
 „maxime urgeatur, veritates christiano
 „practicæ solidiores, doctrinæ respectivæ &
 „securiores & probabiliore proponantur,
 „& omnis doctrina practica principaliter
 „& ultimato ad pacem concordiam & cha-
 „ritatem christianam tendat, collimet &
 „ordinetur.”

* Vid. P. GREGOR. ZALLWEIN T. II, Quæst. I.
 Cap. II. §. 17.

XVII.

*Catecheta nec ita brevis & succinctus sit, ut
 obscurus fiat, nec æquo diffusior planis inhæ-
 rendo & obviis, aut oratorem agendo. „Si-
 „cut gratus est, inquit S. AUGUSTINUS, qui
 „cognoscenda enubilat, sic onerosus, qui
 „cognita inculcat.” Exactissime ordinis tenax
 sit, quo a magis notis ad minus nota progre-
 diendum, & cujus gratia suis locis creden-
 da & agenda sic adaptantur, ut alia ube-
 riorem aliis lucem adfundant. Ab obscuris
 & ambiguis terminis absteineat, intellectu diffici-*

lora comparationibus illustret ac similitudinibus; quæ in textibus S. Scripturæ allegorica sunt, & metaphorica, & antiquitatis aliquam notitiam exposculant, indefesso studio evolvat. Neque abjecte loquatur sed reverentiam religionis dignitati debitam ubique servet. Denique teneat alta mente repositum, pueros nativum quemdam sermonem omnibus communem, in oculorum, oris, corporisque totius motibus, in sono aut concitatione vocis perspicuum, quo affectus produntur, adprime intelligere. Si velit e.g. amorem erga Deum inspirare, ut ipsemet prius videatur eodem fervere, opus est, & ut talis videatur, reapse talis sit.

- * Hic quosdam textus ex S. AUGUSTINI *Lib. de Doctrina Christ.* transcribimus: „Is est optimus docendi modus, quo fit, ut, qui audit, verum audiat; &, quod audit, intelligat. . . „Qui docet, vitabit omnia verba, quæ non docent. . . Utetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipsa doceatur atque discatur integre. — Sic studeat claritati, ut cum per verba incultiora ornatum detrahit, fordes non contrahat. „ Conf. LUDOVICI ANTONII MURATORI *dignitas Eloquentiæ popularis.*

Auctor

Auctor Disertationis *de Mechanismo in causa Religionis speciatim in catecheticis instructionibus caute vitando* J. F. MIEG. §. 9. ubi de veritatibus in notiones primigenias resolvendis loquitur, merito *analysin vocum etymologicam* commendat. Idem §. 5. *De Expressionibus S. Scripturæ* ita diserit: „Catecheta nobis videtur rectius loqui de emendatione animi humani ex principio fidei in Jesum Christum, ejusque Evangelium, quam de crucifixione carnis, morte veteris hominis &c. sanctitatem rectius adpellitare indefessum, ac genuinum studium divinæ voluntati obediendi, quam resurrectionem cum Christo, perfectionem christianam rectius ardorem, & studium illuminandi & flectendi animum, in omne bonum, quam moralem viri statutam &c., Ne ex his quidpiam in sensum ab Auctoris mente longe alienum detorqueas, videsis cl. P. STEPH. WUEST *Præcognita in Theologiam revelatam* &c. §. 170. in nota n. 2. Adde D. JOHANN PETER MILLERS *Unentbehrlichste Exempel zum Katechisiren*, §. 31. *Uebersetzung der Bibelsprache*. Etiam hic vid. *Disertatio de nexu studii exegetici cum publica religionis doctrina*, auctore J. M. FEDER, Wirzeburgi.

XVIII.

Primario præ aliis mentis nostræ facultatibus tenella ab ætate *adpetenti* & *adversandi vires* se se declarant, quarum regimini manus admoveere, prudens Catecheta nullatenus procrastinabit. Quia vero summa voluntatis ab intellectu dependentia est, hinc nihil intentatum relinquet, ut parvuli sicut ætate, ita *ingenii, intellectus* & *rationis cultura* proficiant. Qui enim in rebus vitam communem concernentibus sensim suam cogitandi facultatem pro status sui conditione exercere conantur, ad metam ipsis statuendam, Salvatoris sc. exemplum *LUC. II. 52.* citiori pede properabunt.

- * *Conf. Magazin für Prediger von* BONAVENT. ANDRES: *Ob und wie der Prediger das gemeine Volk aufklären solle? I. B. I. H.*


XIX.

Quæ catechumenorum mentes ad instructiones avide suscipiendas inflectunt, & saluberrimæ id genus propensioni alimentum incrementumque largiuntur, constanter Catechetæ exploranda, & circumspecte in subsidium vocanda sunt. Ipsa instructionis hora summopere ad omne id reflectendum est,
quod

quod audientium *adattentionem* excitandi conservandique vim exferit.

* Quam longe major bonorum Christianorum numerus haberetur, si in pusillorum animis desiderium cognoscendarum veritatum religionis, quæ veræ felicitatis nostræ parens est, idque sincerum & efficax frequentius eliceretur! Sed quot parentes & ludimoderatores sibi adscribere coguntur, quod doctrina e cœlo ad nos demissa, parvi fiat, quid? quod odio percellatur! Væ Catechetæ, qui ejusmodi homines eo permovere non adlaborat, ut melius pusillorum saluti consultum eant! Quodsi parentes docendorum liberorum prudenter studiosi partes Catechetæ tempestive præoccuparent, & indita sibi a Deo nativa erga illos pietate recte uterentur, nonne summo & per omnem ætatem constanti eorum, quæ ad religionem spectant, amore liberos beare possent? O parentes terque quaterque beatos!

** *Adattentionem* sibi quis conciliare desiderans non sufficere putet, quod *materiæ gravitatem sæpius commendare*, aliquando expressis verbis amice *adattentionem postulare*, situm, quo in omnes oculos conjicere valeat, sibi sumere, & aliud quid actitare adsuescat; præcipuos sane fructus *instructionis antea bene præparatæ*



exquisita dictio procreabit. Vid. SALZMANN supra citat. FR. MICH. VIERTHALERS Elemente der Methodik und Pädagogik, Salzburg 1791.

XX.

A labore ad *documenta* in libro, vel in orali instructione duntaxat prolata *memoriae fideliter imprimenda* requisito, quem nullus catechumenorum effugere potest, quidquid molestiae speciem habet, sejungatur. Qui nullam, aut justo minorem memoriae veritatibus religionis ditandae curam gerunt, & contra qui parvulos, quae memoriter addidicere, verba quam promptissime recitantes sufficienter informatis adnumerare audent, longe hallucinantur.

- * Hic in varia, quae memoriae culturam spectant, contilia impingimus. *Sunt* qui censent pædagogum *viva voce* pueris crebro id proponere debere, quod memoriae retinendum est, pro eo quod diutius repetendam lectionem ipsis præscribat. Aliis per aptas *imagines, tabellas* potissimum mnemonicas infantes erudire placet. *Quidam* contendunt, interdum memoriae committi posse, quae parvulorum capacitatem ex parte transcendunt, varia e. gr. S. Scripturae

ræ

ræ effata, quorum clara cognitio annis subsequentibus subministraretur.

De utilitate narrationum ad excolendam memoriam *omnes* facile conspirant. Et sane in narrationibus simul optima Religionis tradendæ ratio posita est, eademque ab origine mundi valde usitata, quod graphice ostendit Clar. FLEURY in *Præf. jam cit.* Vid. F. A. NOEMER *Vollständiger systematischer Religions-Unterricht, München 1786.*

XXI.

Nunquam mera elementorum religionis dilucidatione instructio catechetica absolvetur; sed simul *exhibeat quæ ad morum dispositionem Deo placentem, virtutis exercitium & peccati fugam incitant.* Catecheta igitur sensum moralem conclusionibus moralibus acuere, officiorum implendorum curam intimius imprimere, bona proposita inspirare, sicque inclinationes & adversiones catechumenorum regere debet, ut non solum respondere, sed potissimum *recte vivere* doceat.

- * Quidam tantum *in fine* instructionis, dum in Ecclesia catechizant, unum alterumve documentum morale superaddunt. Verum satius est,

est, data occasione *per decursum* pluribus locum præbere, quorum adminiculo tum vita præterita examinetur, tum præsentis & futuræ adposite prospiciatur.

XXII.

Qui plurium catechumenorum cœtui præest facto quodam parvulorum, & simpliciorum ab ætate magis provectis, & docilioribus selectu, aliis lac doctrinæ proponat, alios cibo solidiori reficiat.

* Sunt, qui contendunt laborem Catechetæ in eo versari debere, “ut 1) elementa Religionis, scitu maxime necessaria teneriorum memoriæ, imprimantur, unde prima classiis emergit; 2) ut bene intelligantur, quæ memoria jam, jam exceperit — quod ad illos spectat, qui secundam constituunt classem; 3) ut eorum, quæ intellecta sunt, etiam ratio reddi queat, & simul adferantur motiva ac rationes, bonum verum amplectendi, moresque sanctos exhibendi, quod ad tertiam pertinebit classem.” Aliis, quibus & nos adstipulamur, alia praxis magis arridet, ad quam aliqua animadversione hic viam pandere juvat.

Quam vere idea hominis recti, quæ desumitur ex criteriis philosophicis cum illa in codicibus

sacris

sacris delineata omnino congruit, tam certe
 & ratio credenda æque ac facienda, ut ho-
 mines recti constituamur, nobis dicat.
 Christus sapientissimus magister docendo in id
 intentus, ut Evangelium insigne rationi sub-
 sidium exhibeat, ab instructionibus suis minime
 arcuit, quæ religionis naturalis esse dicuntur.
 Hujus igitur sacrarium catechumenis pateat,
 & quidem sublato intergerio, quod illud ex-
 cellentius revelatæ ab eo separat. Illis enim,
 qui arbitrantur expositioni doctrinæ christianæ
 debere præmitti, quæ ad religionem natura-
 ralem pertinent, non adsentimur. Vid. *Journal für Prediger* 15. Bandes 4. St. *Ist es*
rathsam, in Kinderlehren von dem Unterschiede
der natürlichen und geoffenbarten Religion
besonders zu reden? —

XXIII.

Praxis, quam singulari elogio exornare
 decet, instruendi initium sumit ab iis, quæ
 de homine, variisque rebus cum vita humana
 propius connexis cuilibet infanti exponi pos-
 sunt, & per hæc intellectu faciliora gradum
 facit ad doctrinam de Deo, de operibus ac per-
 fectionibus divinis ita pertractandam, ut simul
 præcepta morum convenienti unionis vinculo, &
 apta dicendi ratione explicentur ac impriman-
 tur.

tur. Excitata magna de Deo exultatione, & sincera ejus mandatis parendi voluntate, nec non provocato ardenti cognoscendarum plurium veritatum religionis desiderio in exponendis, quæ de *Redemptore Jesu Christo* scitu necessaria sunt, instructionis filium Catecheta continuat, & catechumenos de eminenti Ipsius personæ dignitate, vita sanctissima, doctrina sapientissima, & omnibus quæ salutis nostræ causa egit, ac pertulit, informat, ut ista non modo resciant, sed cognitione perquam familiari & in omni vita per efficacissimi amoris energiam aliis conspicienda feliciter locupletentur.

- * Oppido volupe nobis est, patrem ad filios parvulos de Jesu Christo convenientissima ratione disferentem adtente observare in libello: *Unterredungen eines Vaters mit seinen Söhnen über die ersten Grundwahrheiten der christlichen Religion*, von SEBASTIAN MUTSCHELLE, München 1791.

XXIV.

Quodsi parvuli ad statum pervenerint, in quo *cibi solidioris* capaces esse cognoscuntur, locum in instructionibus obtinent, quæ

quæ veritates antea vel ceu axiomata, vel utcumque succincte traditas, *fusus enucleant ac magis confirmant*; porro *convincunt argumenta*, ne cæca obedientia & credulitas requiri videatur, & *nova* pro annorum atque relationis ad societatem humanam incremento christianorum officiorum *theoremata* accedunt.

Cui ætate provectiores informandi sunt, qui mera didicerunt verba, sensum verborum non didicerunt, & diversis adhærent præjudicatis, falsisque opinionibus, is operam navet, ut has eradicet, & illa claris illustret conceptibus, ac solidis probationibus utatur, ut veritates, quarum animi veræ felicitatis adeo cupidi tantopere interest, altissimas agant radices.

* Hic quædam dicenda de methodo, qua dogmata fidei & morum præcepta suis optime suffulciantur argumentis.

** Quia & *adulti* privata interdum Catechizantis instructione indigui sunt, igitur etiam, quomodo cum his agendum sit, nosse oportet.

XXV,

Quoad instructiones catecheticas *in ecclesia publice* habendas variæ quæstiones ad-
ten-

tentionem demerentur: E. g. An catechumeni *omnes* nulla habita ætatis & capacitatis ratione *in eodem loco, eademque hora* sint instruendi? Num illis, qui scholam non amplius adeunt, *præ minoribus* Catecheta sese adcomodare debeat? *quem in finem* interrogando tempus sit consumendum? an substituenda explicationi catechismi *catechetica evangelii dominicalis expositio*? &c.

- * Alias potissimum ad *tentandum* Catechumenos interrogationes inserviunt, alias ad *erudiendum* ex norma, quam SOCRATI inter accepta grati referimus. Conf. *Etwas von der catechetischen Methode und ihrer Aehnlichkeit mit der Sokratischen, Breslau 1783.*

XXVI.

Siquis in *Schola* singulis propemodum diebus catechizando ludirectori facem præferre velit, non erit abs re, *per hebdomadam* pensum in sequenti catechesi publica pertractandum catechumenis explanando *anticipare*, ut deinde ipsam publicam instructionem bis terve interrumpere liceat, ad dictorum aliquam repetitionem a quibusdam, qui nimis illa bene perceperunt, statim exigendam.

* Obli.

- * Obligatio visitandæ sæpius scholæ ab omnibus, qui de officiis sacri Curionis disserunt, *necessario* inculcatur. At quotusquisque Pastorum invenitur, qui illam *ad amussim* adimpleat? — Conf. SAILERS *Vorlesungen über die Pastoral-Theologie*, P. III. *Bemerkungen für Landschullehrer und für Freunde derselben*, von J. BUEL, Nürnberg 1792.

XXVII.

Catecheta dignitatem muneris sui penitus persentiscens constanti solertia investigabit, quo pacto in arte sua progressus facere possit. Hinc libros monita pro catechetis continentes, ad quos dioecesani pertinent, sæpe sæpius pervolvere, methodum suam quandoque aliorum crisi subicere, alios observare catechetas, & subinde in libris propalata quarundam catechesium specimina explorare, minime gravabitur.

- * Parochos reperies, qui prorsus convicti, Catechesin rem gravissimi momenti esse, omnimodis ipsam in se suscipiunt, & alio sacerdoti concionandi libentius, quam catechizandi copiam faciunt. Quam præclare! *Secus* sentiendum de illis, qui commoditatis ergo negotium Catechetæ sibi reservant, illudque perfuncto-

rie gerunt. Neque his cordi erit, eo eluctari, ut diligenter, quæ *mechanismus* damna producit, vel extirpent, vel præcaveant. Cf. MIEG *supra citat.* Vid. *Sammlung der Bischöflich-Speierischen Hirtenbriefe*, 1786. *Rituale Diœces. Wormat.* Con. Trid. &c.

- ** Bonarum instructionum exempla in quibusdam modernorum Eruditorum scriptis prostant; neque defunt, quas admodum inepte compositas esse, primo intuitu adparet. Utinam magis tandem numerus anteriorum augeatur, & ii, qui orationibus sacris in lucem edendis insudant, *Catechetas quoque* nonnullis sibi meritis devincire studeant!

XXVIII.

Pastores, qui parvulos ubicumque sibi oblatos, aut domi, aut in agris, in sylvis, in tuguriis, sive deambulando sive aliud quid agendo tempus transigant, *ad se trahentes* semper dicenda in promptu habent, queis & illorum amore potiri queant, & variarum rerum magis peritos, ac dociliores reddere quam plurimos, secundum canones prudentiæ pastoralis fideliter imitandi sunt.

- * Vid. S. HIERONYMUS in *Epist. ad Lætam sub finem.*

XXIX.

XXIX.

Cuivis Catechetæ gravis incumbit obligatio, ut semper observando, metitandoque perscrutetur, quæ catechumenorum progressui vel *impedimento*, vel *adjumento* esse possint. Qua in causa ut vigilem etiam *magistratus* providentiam comitem habeat, necessum est.

- * Hic expendenda quædam *de precibus*, quas Catechetæ ingenui pro suis persolvunt catechumenis, item *de munusculis* distribuendis, & *correctione* inadtentorum, inquietorum, & immorigerorum. Ad remunerationem quod adinet, hæc nostra est sententia: Absit omnis prodiga largitas; rejiciantur imagines ad excitandum pietatis sensum ineptæ, imo risum moventes aut nauseam, & substituantur, quæ instructioni magis inserviunt; præter libellos selectos adhibeantur cantilenæ piæ, formulæ precum, exempla proborum infantum, puncta materiæ catecheticiæ breviter exposita, & chartulis mandata, & alia hujusmodi. Qui omnia munera removenda esse, autumat, facile refellitur. — Respectu correctionis inter alia Catechetam monitum volumus, ne ipsemet puniendi provinciam in se suscipiat &c.

XXX.

Cui vero adhibita omni industria suavissimam exoptati successus voluptatem libare nondum conceditur, is animum tamen minime abjiciat, sed firmo confidentiæ in Deum, orationisque fulcro innitens, & exemplorum in viris generosis obviorum representatione sese recreans, charitatem manifestet, quæ patiens est, & omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, ut hac ratione se ipsum salvum faciat, & eos, qui ipsum audiunt.



Index Dissertationum
Tomi II

- N. 1. Melchiorbaur. Nain Lublunungssatz
In p. Nyrill - contra Wecklein - 1806.
- N. 2. Wislemacker Abhandlung über
vom Gesetz über Judaen und
die Welt. &c - 1816
- N. 3. Hüterin Commentar. de libro
Baptiz. Conj' et Def. - 1816
- N. 4. Epitome de Libr. I. et Nosis
Exercitatio - 1784.
- N. 5. Fleischbein de arte
cathechizandi - 1792.

